

alios Fratres hujus Conventus praeferat ceteris in probitate, perfectione, regulaque custodia, eoque detrahat proximo suo, sed agere curet id, quod agit humiliter vivendo, & servando unitatem spiritus in vinculo pacis; praevicatoribus vero severius puniantur.

Decimo. Liceat Guardiano, ceterisque Fratribus hujus Conventus sancire nova statuta pro strictiori vivendi ratione, quae non adversentur Sacris Canonibus, Apostolicisque Constitutionibus, & Generalibus statutis Fratrum Reformatorum, eaque secretis suffragis probari debeant, & ab omnibus observari ad majorem Dei gloriam, fratrumque spirituales profectum, dummodo recognoscantur prius, & approbentur a Ministro Generali.

Supradicta autem decreta, & statuta de voto etiam, primum Vicarii Generalis Reformatorum, deinde Ministri Generalis ejusdem Ordinis sancita ab omnibus Religiosis in supradicto Conventu commorantibus, & Deo servientibus in perpetuum valitura inviolabiliter observari volumus, & mandamus. Ut autem supradicta firmiter subsistant Illustrissimus, & Reverendissimus Episcopus Placentiae nuper Orator Catholici Hispaniarum Regis humiliter supplicat Sanctitati Vestrae, ut dignetur illa confirmare per suas Literas in forma Brevis. In quorum fidem &c. Datum Romae die 31. Julii 1662.

Supradicta decreta torvis si marlat.

F. Cardinalis Barberinus Protector. Loco sigillo.

Agapitus Colortius Secret. §.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, firmiora, & stabiliora sint, exactiusque servantur, illa, quae Apostolica confirmationis praesidio communiuntur: Nobis propterea dictus Ludovicus Episcopus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur: Nos igitur ejusdem Ludovici Episcopi votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeserta decreta, & statuta a memorato Francisco Cardinale Protectore facta, & edita, ut praefertur, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiacimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmat hęc decreta.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore

spectabit, inviolabiliter observari; Sique in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria solit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit praefatorum Ordinis, & Provinciae, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam si illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 30. Augusti 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 30. Aug. 1662. An. VIII.

CDIV.

Donativum extraordinarium Regni Siciliae Regi Catholico facien. occasione dotis Reginae Christianissimae dicti Regis natae.

Ex Regis in Secret. Brevis.

Ven. Fratri Archiepiscopo Panormitano.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit Charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, quod cum dilecti filii tres hominum status, seu tria brachia, Ecclesiasticum, Militare, & Demaniale nuncupata Regni Siciliae ultra Pharus, cujus ipse Philippus etiam Rex existit, de mense Martii 1661. eidem Philippo Regi occasione dotis Charissimae in Christo Filiae Mariae Theresiae Francorum Reginae Christianissimae ipsius Philippi Regis natae donativum extraordinarium quinquaginta millium scutorum certis modo, & forma, ac pro hac vice dumtaxat exigendum obtulerint, Ven. quoque Fratres Archiepiscopi, Episcopi, & Archimandrita & aliae Ecclesiasticae personae dicti Regni certam ratam non excedentem sextam partem praedictorum quinquaginta millium scutorum solvendorum, ut praemittitur, sponte sua in eisdem Comitibus, accedente tamen ad hoc nostro, & Sedis Apostolicae beneplacito, persolvere obtulerunt, & forsitan etiam persolverunt.

Expositio.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio

tio subjungebat, ex eo praesertim, quod per Lateranensem Concilium novissime celebratum, diversaeque alias canonicas sanctiones sub certis censuris, & poenis caveatur expresse, ne Reges, Principes, & alii Potentatus ab Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & aliis personis Ecclesiasticis etiam sponte offerentibus aliquam pecuniarum summam, sive subventionem recipiant dictus Philippus Rex, ac ejus Regni illius ministri dubitent, ratam praedictam ante obtentum beneplacitum Apostolicum recipiendo, censuras, & poenas hujusmodi incurere, & forsitan incurrisse.

§.3. Nobisque propterea dictus Philippus Rex humiliter supplicari fecerit pro sua, & dictorum ministrorum conscientiae quiete quatenus praemissis nostram, & hujus Sanctae Sedis auctoritatem interponere dignaremur: Nos igitur ejusdem Philippi Regis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Fratritati tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut constituto tibi per legitimas probationes de expresso majoris partis Cleri, seu Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum, secularium, & cujusvis ordinis regulatum dicti Regni consensu, & quod reliquum, vel reliquae personae non consentientes vocati, & vocatae fuerint oblationi, & mandamus, necnon solutioni per Archiepiscopos, Episcopos, & Archimandritam, & alias personas Ecclesiasticas factis pro hac vice tantum nostram, & Sedis praedictae auctoritatem vigore praesentium interponas, ipsosque Archiepiscopos, Episcopos, & alias personas hujusmodi, etiam si sint de illis, quae pro minori Cleri parte praemissis non consenserint, ad ea tamen vocati, & vocatae fuerint ad solutionem eorum ratae opportunis Juris, & facti remediis cogas, & compellas.

Regi Catholico auctoritatem concedit compellendi ad solutionem Episcopos aliosque.

§.4. Et nihilominus Archiepiscopis, Episcopis, & Archimandrita, aliisque Ecclesiasticis personis praedictis, ut ratam hujusmodi per eos, ut praemittitur oblatam, & promissam persolvere, ac dictus Philippus Rex, & ejus ministri eam petere, & recipere absque conscientiae scrupulo, seu censurarum, & poenarum praedictarum incursum libere, & licite valeant, auctoritate nostra concedas, & indulgeas, ipsosque Archiepiscopos, Episcopos, & Archimandritam, aliasque personas Ecclesiasticas, & earum singulas, quatenus ipsi dictam ratam jam promiserint, & solverint necnon eundem Philippum Regem, ejusque ministros praedictos si eandem ratam jam perceptorint, ab omnibus, & singulis censuris, & poenis propterea quomodolibet incurris, eadem auctoritate absolvas, & absolutos fore censes, & declares. Et quod omnes, & singuli pensionarii, seu ii, quibus loco pensionum fructus in totum, vel in partem reservati existunt cujuscumque dignitatis, vel conditionis sint (exceptis tamen S.R.E. Cardinalibus, necnon duabus perpetuis pensionibus annuis, una quidem

bis mille ducentorum super Cathanien., altera vero pensionibus hujusmodi mille octingentorum scutorum monetae dicti Regni Siciliae super Mazarien. mensarum Episcoporum respective fructibus, redditibus, & proventibus ad favorem Operis pii per memoratum Philippum Regem in Basilica S. Mariae Majoris de Urbe fundati a praedicto Innocentio Praedecessore per suas anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo nonis Octobris desuper sub plumbo expeditas literas reservatis) ad hujusmodi ratae solutionem in omnibus, & per omnia perinde acsi nominatim ratam eandem se soluturos obtulissent, clausulis, & decretis in literis Apostolicis reservationum, pensionum, & fructuum hujusmodi etiam consistorialiter appositis, & quod dictae pensiones ab omni decima, subsidio charitativo, & quovis alio onere tam ordinario, quam extraordinario quavis auctoritate etiam pro expeditione tam offensiva, quam defensiva contra Turcas, & alios Infideles, & Republica Christianae hostes ab illorum conatibus defensione, seu inexcogitabili causa a Romano Pontifice pro tempore existente, etiam ad Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum instantiam, illorumque contemplatione, & intuitu etiam motu proprio, & ex certa scientia impositis, & imponendis, aut alias qualitercumque exemptae sint nequaquam obstant. teneantur, & efficaciter obstricti sint, ipsique Archiepiscopi, Episcopi, & Archimandrita, aliaeque personae, quarum Ecclesiae, Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica annuis pensionibus apostolica auctoritate assignatis gravata, & onerata sunt, ratam pensionariorum suorum, seu eorum quibus fructus hujusmodi sunt reservati vere, & realiter, & quacumque fictione cessante persolverint, sua propria auctoritate postmodum penes se retinere possint, nec propterea sententias, censuras, & poenas in eisdem pensionum, reservationibus contentas incurrant, eadem auctoritate decernas.

Quaedam facultas.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, exemptionibus, immunitatibus etiam in corpore Juris clausis, ac Literis Apostolicis quibusvis generaliter, vel specialiter concessis, necnon literis reservationum, pensionum, & fructuum hujusmodi, ac quibusvis obligationibus, etiam in forma Camerae, etiam cum juramento, ac censurarum, & mandati executivi suspensione, vel alias desuper factis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quavis alia expressio habenda sit, & in eis caveatur expresse, quod per hujusmodi clausulas generales, etiam specialem mentionem importantes eis derogatum esse non censetur,

Contrarius derogat.



aut derogari non videatur, nisi certis modo, & forma in illis expressis plene observatis. Quibus omnibus eorum tenores presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Ceterum volentes providere ne pauperes Ecclesiastici ad contributionem hujusmodi graventur, Te hortamur attente, ac in virtute Sanctae obedientiae Tibi mandamus, quatenus pauperes Ecclesiasticos, qui in redditibus annuis nihil, aut parum, etiam usque ad valorem decem unciarum scuta viginti quinque monetae illius Regni constituent, inclusive habent, ad contributionem praedictam per quoscumque, quavis auctoritate fungentes cogi, aut compelli nullo modo permittas.

Transumptio- rum fides.

§.7. Volumus autem, quod exactio pecuniarum hujusmodi ab Ecclesiasticis, per personas Ecclesiasticas a dicto Philippo Rege, seu moderno Regni praedicti Prorege nominandas, & per Te deputandas fieri debeat, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis, quod si secus in aliquo praemissorum factum fuerit, qui contravenerit, in poenas, & censuras incurrant, perinde acsi praesentes literae non emanassent. Quodque etiam praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra in omnibus, & per omnia adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 4. Sep. 1662. An. VIII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 4. Septembris 1662. Pont. nostri Anno VIII.

CDV.

Ex Resol. in Sacris. Brevis

Commissio Officiali Bisuntin. contra Guglielmum Humbertum Praecipianum, & alios inobedientes Canonicos Ecclesiae Bisuntin.

Dilecto filio Joanni Dorivalio Archidiacono Luxoviensi, & Canonico Ecclesiae, necnon Officiali Curiae Bisuntin.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Alia decreta recensentur.

§.1. Alias emanarunt a Nobis literae in simili forma Brevis tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander PP. VII. ad futuram rei memoriam. Iustitiae exigit ratio, &c. tenor dictarum literarum omnium, quia jam illum invenies in suo Ordine sub dat. 5. Decembris 1661. Pont. Anno VII.

§.2. Cum autem (sicut non sine gravi animi nostri dolore subinde accepimus) memorati Guglielmus Humbertus Praeci-

pianus, & alii Canonici ejus Electores, tantum abest, ut paternis nostris monitionibus, & correctionibus hujusmodi debita humilitate morem gerentes, atque apostolicis mandatis reverenter (ut justum est) parentes, ab omnibus illis actibus, qui eis, & cuilibet eorum per praesentias literas nostras expresse interdicti sunt, sese penitus abstinerint, ut etiam (quod deplorandum est, majorique animadversione compescendum) actibus capitularibus, ceterisque praefatis, inani forsitan praetextu cujusdam asseritae absolutionis ad certum tempus dumtaxat, & cum reincidentia, a praefato Episcopo Andrevillen. dictae Ecclesiae Bisuntin. Suffraganeo per eos fucato verbalis partitionis supposito extortae, sese intrudere, atque immiscere ausi sint, & audeant, illique, & praesertim dictus Guglielmus Humbertus se ipsos ad alia Officia, munera, & forsitan dignitates eligi, ac deputari fatagant.

Motiva.

§.3. Propterea Nos, qui ausus hujusmodi temerarios, & in praedictum apostolicam auctoritatem tendentes, nullo modo dissimulare possumus, nec debemus, motu, scientia, & deliberatione similibus, discretioni tuae iterum in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena excommunicationis per te, nisi huic mandato nostro parueris, incurrendae committimus, & mandamus, ut statim, atque praesentes literas receptoris, omni postposita mora, eundem Guglielmum Humbertum Praecipianum, ac singulos Canonicos ejus Electores praefatos [quorum nomina, & cognomina, si haecenus publicata non fuerint, publicari facias] a praedictis suspensionis, ac privationis, ceterisque a Nobis per praesentias literas inflictis poenis minime liberatos, nec pro liberatis habendos esse, sed quatenus a memorato Episcopo Andrevillen. sicut praemittitur, aut alias quandocumque, & qualitercumque absoluti fuerint, in eadem poenas reincidisse, illisque adhuc innodatos, & illaqueatos esse auctoritate apostolica declares, & decernas.

Committitur in rubr.

§.4. Et quatenus illi se ab actibus capitularibus hujusmodi, & aliis, ut supra, ipsis interdictis non abstinerint, eosdem, ac singulos eorum, qui contrafecerint, necnon eos, qui illos ad actus praefatos quoquo modo, ac praetextu receperint, aut admiserint, vel propria vota, sive suffragia per se ipsos, aut eorum Procuratores pro electione aut deputatione ad quaecumque officia, munera, vel dignitates illis, aut cuilibet eorum dederint, eo ipso excommunicationis sententiam, a qua nemo a quoquam nisi a Nobis, seu pro tempore existente Romano Pontifice tantum, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, damnabiliter incurrisse dicta auctoritate declares pariter, & pronuncies, & publices; Nos enim quaecumque necessariam, & opportunam ad praemissa facultatem, & potestatem tibi harum serie, eadem auctoritate tribuimus, & impartimur.

Facultas per poenas procedendi.

§.5. Decernentes eandem praesentes li-

tc.

Clausula.

teras, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis interesse habentes ad illa vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aliove quolibet defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu in controversiam revocari minime posse, sed ipsas praesentes literas, & in illarum executione a te facienda firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, aliove quoslibet quavis auctoritate, praesentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.6. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in praesentibus literis voluimus non ob stare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio ceteri mandati.

§.7. Ceterum volumus pariter, ut eandem praesentium literarum transumptis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 11. Sep. 1662. An. VIII.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 11. Sept. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDVI.

Quod Superiores Congregationis S. Benedicti, ac etiam Monasteriorum Sublaci, ac Farfae, ceterique Monachi non accedant Romam absque licentia Abbatis Sancti Pauli, ac Procuratoris Generalis.

ALEXANDER PAPA VII. Ad futuram rei memoriam.

Procurium.

Ad apostolicam dignitatis fastigium meritis licet imparibus, divina dispositione evecti, illis, quae pro decoris Monastici disciplinaeque regularis conservatione provide constituta esse noscuntur, libenter cum a Nobis petitur, apostolici muniminis adjungimus firmitatem.

Supplicatio.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus Romanus Procurator Generalis Congregationis Cassinensis, Ordinis S. Benedicti, quod dilecti patris filii Praesidens Generalis, & Visitator dictae Congregationis in eorum Dieta Ferrariae nuper celebrata Decretum ediderunt tenoris, qui sequitur, videlicet. Salutaribus monitis Eminentissimi D. Cardinalis Barberini Congregationis nostrae Prote-

ctoris, quibus pro eorumdem observantia cum suis particularibus literis sub datum Romae, die 19. Mensis Aprilis proxime elapsi, Dietae Capitulari directis enixe insistit, ut par est, obtemperare volentes, omnibus, & singulis Congregationis nostrae Praelatis, etiam Monasteriorum nostrorum Sublaci, Farfae, ac Monachis quoscumque conditionis prohibemus, & penitus interdiciamus, a nostris Constitutionibus non recedentes, accessum ad Urbem, quovis praetextu, absque licentia prius in scriptis a Reverendis PP. Abbate S. Pauli de Urbe, & Procuratore Generali in Curia pro tempore existentibus obtenta.

§.2. Nulli supradictorum post eundem accessum ad Urbem liceat alibi etiam in domibus secularium propinquorum, praeterquam in Monasterio Sancti Callisti sese recipere, commorari, & multo minus juxta easdem Constitutiones nostras pernoctare, sub poena suspensionis a quocumque gradu ipso facto ab omnibus incurrendae; iisdem pariter in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ut associati, & omnino cuculati per Urbem incedant, ne gradus Abbatialis, & Monastici, ex dimissione sui dignioris habitus, debito honore privetur. Quae omnia tam in Alma Urbe, quam in aliis insignioribus Civitatibus, praecipue Neapolis, & Panormi, observanda esse decernimus.

Decretum praesentium confirmat.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti Jacobus Procurator Generalis Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, apostolica confirmationis nostrae patrocinio communi plurimum desideret; Nos ipsum Jacobum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus extiterit, ad effectum praesentium, dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula apostolica.

§.4. Decernentes eandem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non



Derogatio contrarium

§.5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, prædictorum Ordinis, & Congregationis, etiam juramento, confirmatoine apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptio sua fides.

§.6. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiasticæ constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 26. Sep. 1662. An.VIII.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 26. Sept. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDVII.

Quod spolia defunctorum Canonicorum Regularium Sanctissimi Salvatoris Procuratori Generali ejusdem Congregationis omnino applicari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva hujus Constitut.

Alia pro parte tunc existentis Abbatis Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Congregationi tunc existentium S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum exposito, quod ipse juxta mandatum dictæ Congregationis Cardinalium in Capitulo Generali prædictæ Congregationis Canonicorum Regularium Venetiis anno superiore 1649., celebrato una cum Definitoribus decretum ediderat, quod spolia defunctorum Canonicorum Regularium Congregationis hujusmodi transmitterentur a Prælatibus localibus ad Procuratorem Generalem ipsius Congregationis, ad effectum solvendi debita Cameraria Monasteriorum particularium, & his deficientibus publica Religiois Romæ contracta cum Montistis, & Censuariis, quodque Decretum hujusmodi ab ipso Abbate Generali, & Definitorio in Dieta eo anno Florentiæ habita etiam renovatum, & plenissime confirmatum, ac a multis exacte observatum, & practicatum fuerat, sed nonnulli alii renitentes erant, illique parere recubant sub vanis prætextibus, & subterfugiis, allegantes dictum decretum Constitutionibus Apostolicis, ac de-

cretis prædictæ Congregationis Cardinalium, & Sacris Canonibus adversari, licet nihil super ea re producerent.

Supplicatio

§.1. Ideoque pro parte dicti Abbatis Generalis memoratis Cardinalibus supplicato, ut prædicti Decreti observationi opportune providerent, emanavit ab eorumdem Cardinalium Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio, &c. inhzendo resolutionibus alias factis in particulari Congregatione pro sublevandis oneribus duodecim Congregationum Monasticarum prænaratum Decretum a Definitorio Capituli Generalis anno 1649. Venetiis editum, & nuper in præterita Dieta innovatum pro satisfaciendis dumtaxat debitis oneribus Cameralium, ac Montistarum, & Censuariorum hujusmodi ad particularia Monasteria si adsint, sin minus ad commune Religionis spectantibus, & non alias virtute præsentium Sanctissimo Domino Nostro annuente approbat, & confirmat, ac ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, ac ad prædictos usus solummodo applicari mandat, & præcipit, sub pena contravenientibus privationis vocis activæ, & passivæ, prælaturæ, & officiorum, necnon perpetuæ inhabilitatis ad quæcumque alia obtinenda, rehabilitatione eidem Sacræ Congregationi reservata. Constitutionibus Apostolicis, & ejusdem Ordinis statutis, aliisque quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ, die 15. Julii 1650.

Decretum Sacræ Coegr.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Joannes Maria Lancius Procurator Generalis dictæ Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum præinsertum pro firmiori, & stabiliori illius observatione, apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summo opere desideret. Nos ipsum Joannem Mariam Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes. Supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis: De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio observantiam præserti decreti, sub poenis in eo contentis, auctoritate apostolica tenore præsentium injungimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Confirmat decretum.

§.3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit,

Clausula.

Contrariis derogat.

stabit, inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Transumptio sua fides.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit prædictæ Congregationis Canonicorum Regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 27. Sep. 1662. An.VIII.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Sept. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

XDVIII.

Declaratio quod Personæ, quæ a Superioribus Congregationis Missionis deputantur ad alias functiones dictæ Congregationis, quæ proximam spectant &c. sub sint quoque locorum Ordinariis quoad functiones hujusmodi, & ea, quæ illas concernunt, & alia declarantur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis Officii humilitati nostræ divinitus impositi sollicitudo Nos admonet, ut Congregationem virorum uberes in Ecclesia Dei bonorum operum fructus proferre jugiter satagentium statum opportunis rationibus constabilire studeamus, sicut cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Motiva.

§.1. Alias siquidem Nos nonnulla dubia super statu Congregationis Missionis in Gallia inceptæ, ac olim a Sede Apostolica approbatæ enata tollere volentes eandem Congregationem, sicut præfertur, inceptam, & approbatam auctoritate Apostolica confirmavimus, & approbavimus cum emissionem votorum simplicium castitatis, paupertatis, & obedientiæ, necnon stabilitatis in dicta Congregatione, ad effectum se toto vitæ tempore saluti pauperum rusticorum applicandi, post biennium probationis faciendæ. Statuentes ut dicta Congregatio exempta esset a subjectione locorum Ordinariarum in omnibus, excepto quod personæ, quæ a Superioribus ejusdem Congregationis deputarentur ad missiones aliquas, subessent ipsis Ordinariis tantum quoad missiones, & ea, quæ illas concernerent; & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die 22. Sept. 1655. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur.

Decretum confirmat.

§.2. Nunc autem alia quoque dubia, quæ super præmissis, seu illorum occasione subori possent, opportuna declarationis ministerio removere cupientes, ac dilectum filium Renatum Almeras modernum dictæ Congregationis Superiorem Generalem, specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, quod personæ, quæ a Superioribus memoratæ Congregationis Missionis deputantur ad alias functiones ipsius Congregationis, quæ proximam spectant, quales sunt Seminaria Ecclesiasticorum externorum regere, & in illis docere. Exercitia spiritualia tam ordinandis, ut se digne ad Ordinum susceptionem disponant, quam aliis tradere; Collationes de rebus spiritualibus cum Ecclesiasticis externis in Domibus dictæ Congregationis habere, & illas dirigere; sub sint quoque eisdem locorum Ordinariis, quoad functiones hujusmodi, & ea quæ illas concernunt, eo modo quo de Missionibus dictum est.

§.3. Præterea quod antequam aliquis pro votorum pro præfata Congregatione a Nobis, ut præfertur, approbatorum emissionem in eadem Congregatione admittatur, debeat biennium probationis explevisse, auctoritate præfata tenore præsentium declaramus.

Clausula.

§.4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari, & illis respective plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non



Contrariis derogat:

§.5. Non obstantibus Literis Apostolicis super erectione dictae Congregationis emanatis, in quibus caveri dicitur expresse, quod Clerici anno probationis exacto, si idonei iudicati fuerint corpori eiusdem Congregationis inferantur; necnon quatenus opus sit praefatis nostris Literis, ac omnibus, & singulis illis, quae in illis concessimus non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis eredi mandat.

§.6. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici, seu dictae Congregationis Missionis Secretarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in Ecclesiastica dignitate constitutae, seu Superioris Generalis eiusdem Congregationis munitis eadem prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsimet praesentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Dat die 7. Oct. 1662. An. VIII.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Octob. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

CDIX.

Confirmatio Brevium super divisione Provinciae S. Joannis Baptistae; erectionisque B. Petri de Alcantara Disalceatorum, S. Francisci nuncupat.

Vide ad Constitut. 248. Sacrosancti, hujus Pont. fol. 14., & ad Constit. 308. Alias Nos, fol. 88. ut supra, in quibus agitur de hac Controversia.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

Alias pro parte dilecti filii Petri Roche Commissarii Gen. Curiae Fratrum familiae Ultramontanae Ordinis Minorum, S. Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita exposito, quod juxta mandatum, & decretum Capituli Generalis dicti Ordinis anno 1658. celebrati, ad instantiam Fratrum Provinciae S. Joannis Baptistae eiusdem Ordinis Nobis humiliter supplicatum fuerat, ut eandem Provinciam in duas dividi concederemus.

§.1. Nosque per quasdam nostras in simili forma Brevis literas, quarum initium Sacrosancti Apostolatus officium, &c. facultatem faciendi divisionem hujusmodi concesseramus, cum erectione novae Provinciae Ordinis praedicti sub titulo B. Petri de Alcantara, & subinde ad petitionem hujus novae Provinciae, praevia informatione a dilecto filio Ministro Provinciali dicti Ordinis habita, per alias nostras etiam in forma Brevis literas, quae incipiunt: Alias Nos charissimi, &c. Ministrum Provinciale, ac Custodem, & Definitorum novae Provinciae

hujusmodi deputaveramus, ac per ambas literas praedictas novem Conventus assignaveramus eidem novae Provinciae, quae octo Conventuum possessionem adempta fuerat: dicta vero Provincia S. Joannis Baptistae Conventum Murciae, qui praecipuus inter dictos novem Conventus erat, retinuerat vigore concordati inter ambas partes facti, sed postmodum cum hujusmodi concordatum praedictis nostris literis praediceret, dicta nova Provincia Procuratorem ad Romanam Curiam miserat, ad effectum proponendi causam in praed. Cardinalium Congregatione, quae utriusque partis rationibus auditis sententiam dederat ad favorem praedictae novae Provinciae, dictumque concordatum nullum declaraverat, ac memoratum Conventum Murciae eidem novae Provinciae restitui debere decreverat, verum praedicta Provincia Sancti Joannis Baptistae executioni Apostolicarum in simili forma Brevis literarum super praemissis emanatarum resistit, tandem post gravissima scandala non solum in Civitate Murciae, sed etiam in universo Hispaniarum Regno secuta, eundem Conventum Murciae ad novae Provinciae consignaverat, atque ita huic quidem Provinciae novem Conventus assignati reperiebantur, in altera vero Provincia S. Joannis Baptistae praedicta vigintiseptem Conventus remanserant.

§.2. Et in eadem expositione subjuncto, quod dicta Provincia Sancti Joannis Baptistae novas lites pro advocandis illis, quae per ternas nostras in forma Brevis literas stabilita sunt, movere praetendebat, id vero occasionem aliarum maximarum perturbationum, & offensionum praebere, ideoque memoratae Cardinalium Congregationi supplicato, ut perpetuum super praemissis silentium imponeret, quo, & scandala Religioni periculosa cessarent, & fratrum quieti, & tranquillitati consuleretur, emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, ad quam Sanctissimus Dominus Noster preces hujusmodi remisit: Cum sub die 28. Aprilis proxime praeteriti, causa iterum partibus auditis, & abunde informantibus praeposita Eminentissimo Franciotti referente, decreverit ad Provinciam Sancti Joannis Baptistae spectare vigintiseptem Conventus, remanente Conventu Murciae ad Provinciam Beati Petri de Alcantara juxta resolutionem jam factam; inhaerendo huic declarationi, aliisque Decretis, & Brevis Apostolicis super hac materia emanatis, ut tandem differentiis, controversiis, litibus, & discordiis quibuslibet finis imponatur, vigore praesentium stricte praecipit, & iungit sub poenis eo ipso incurrendis excommunicationis, privationis vocum, & officiorum, aliisque arbitrio S. C. infligendis, omnibus, & singulis dictarum Provinciarum, & totius Ordinis, Religiosis, tam

Decretum Sacrae Congreg.

Su-

Superioribus, quam subditis, ut juxta praemissa, necnon in reliquis juxta dispositionem praedictorum decretorum, & Brevium omnino, & absque ulla tergiversatione, etiam sub praetextu novi recursum ad hanc S. Sedem habendi pareant, & exequantur, nec directe, vel indirecte se opponere, aut contradicere praesumant.

§.3. Quapropter sub iisdem poenis perpetuum deluper silentium imponit, & impositum esse declarat, appellationibus, praetensionibus, juribus, decretis quoque, ac Brevis Apostolicis in contrarium forsitan facientibus, ceterisque non obstantibus quibuscumque. Romae 15. Septembris 1662. M. Card. Ginettus.

§.4. Cum autem, sicut praedictus Petrus Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi pro firmiori illius substantia, & observatione apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summo desiderio. Nos ipsum Petrum specialis favore gratiae prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine Nobis super hoc humiliter portensis inclinati.

Confirmatio decreti Sacrae Congreg.

§.5. Decretum praesertim auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiciamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Decretum irritans.

§.6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§.7. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit praefatorum Ordinis, & Provinciarum, & Conventus Murciae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogata. Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

mus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octob. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 11. Oct. 1662. An. VIII.

CDX.

Impositio Decimae in Regnis Castellae, & Legionis, ac Aragoniae, & Valentiae, necnon Principata Cathaloniae, atque Insulis Balearibus, & Sardiniae, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in eis comprehensis, in subsidium praesentium necessitatum Regis Catholici.

Ex Regest. in Sacra. Brevis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. CUM sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus Nobis nuper exponi fecit, ipse pro Fidei Catholicae, Regnorumque, & Dominiorum suorum defensione adeo gravia expensarum onera habetenus subire coactus fuerit, & ad praesens cogatur, ut non solum ordinarios, & extraordinarios Regnorum suorum redditus verum etiam omnia illorum araria fere exhausserit, & propterea Nobis humiliter supplicari fecerit, ut super Ecclesiarum in suis Regnis Castellae, & Legionis, ac Aragoniae, & Valentiae, necnon Principatu Cathaloniae, atque Insulis Balearibus, & Sardinia, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in dictis Regnis, & Insulis comprehensis existentium peculio, Christique Domini patrimonio aliquid subsidium pro subventionem praesentium necessitatum ipsius Philippi Regis Catholici, ejusque Regnorum defensione imponere de benignitate apostolica dignemur; Nos ad ingentia ejusdem Philippi Regis, Majorumque suorum erga Religionem Catholicam, & hanc Sanctam Sedem Apostolicam merita paternae dirigentes considerationis intuitum, ac horum contemplatione illum specialis favore gratiae prosequi volentes, supplicationibus dicti Philippi Regis nomine Nobis super hoc humiliter portensis inclinati, de attributa Nobis a Domino Apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium indicimus, & imponimus unam semel in duobus annis proximis, illorum nempe singulo pro medietate persolvendam decimam, quae in totum ad summam octingentorum millium Ducatorum monetae Hispaniae ascendat, juxta ratam a Ven. Fratre Carolo Archiepiscopo Corinthi nostro, & praedictae Sedis in Regnis Hispaniarum Nuncio taxandam omnium fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, & distributionum quotidianarum omnium Ecclesiarum Archiepiscopali, Episcopali, Collegiarum, Parochialium, necnon Monasteriorum, & Conventuum, ac

Exposu.

Supplicatio- nibus expo- nentis indul- get, & confir- mat ut in tu- bic.

K k

etiam



etiam mensarum Abbatialium, Capitularium tam Cathedralium, & Metropolitanarum, quam quarumcumque Collegiarum Ecclesiarum, necnon Conventualium, Prioratum quoque, Preposituratum, Preceptoriarum, Canonicatum, & Præbendarum, Dignitatum, Personatum, administrationem etiam Fabricæ, & Officiorum, cæterorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum cura, & sine cura secularium, ac Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, ac quorumcumque aliorum Ordinum utriusque sexus etiam mendicantium annuos redditus habentium, tam virorum, quam mulierum, necnon Congregationum Regularium, Institutum Regularium & Societatum, etiam Societatis Jesu, & præterea Hospitalium, necnon Beatae Mariæ Theutonicorum, Sancti Jacobi de Spatha, Alcantara, Calatrava, de Avis, & Montefia, necnon Sancti Lazari, & aliarum quarumcumque Militiarum (exceptis tamen S. R. E. Cardinalibus, ac Fratribus Militibus Sancti Joannis Hierosolymitani, qui pro sui tutela contra Turcas, & alios Infideles, alienis auxiliis quotidie indigent, & quoad curata iis, quorum centum, quo vero ad simplicia Beneficia Ecclesiastica, iis, quorum annui redditus summam vigintiquatuor ducatorum auri de Camera non excedunt) in prædictis Regnis Castellæ, & Legionis, ac Aragoniæ, & Valentie, necnon Principatu Cathalonie, atque Insulis Balearibus, & Sardinia, omnibusque Provinciis, & Ditionibus in eisdem Regnis, & Insulis comprehensis existentium, ac similiter omnium pensionum, super præmissis assignatarum, & assignandarum percipiendam, & exigendam a quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, Primatibus, Prepositis, Decanis, Capitulis, Canonicis, Rectoribus, Beneficiatis, Abbatibus, Prioribus, Commendatariis, Abbatissis, Priorissis, Fratribus, Militibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis secularibus, & regularibus ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium prædictorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, militibus, mensis, malsis, & locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personalibus, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continuata suffultis, quos omnes, (exceptis supradictis) Collectores, ut infra deputandis volumus decimam prædictam juxta taxam prædictam infra duos an-

nos proximos, illorum videlicet singulo pro medietate persolvisse.

§.2. Decernentes nullas omnino exemptiones, & immunitates exactionem hujusmodi impedire posse; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Commissarios etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Ut autem supradicta diligenter, & fideliter executioni demandentur, eundem Carolum Archiepiscopum modernum, & pro tempore existentem nostrum, & Sedis prædictæ in dictis Regnis Hispaniarum Nuncium, cujus integritas, & prudentia Nobis jam pridem cognita est, & alias Ecclesiasticas personas si ita ei videbitur ab eo nominandas, Decimæ prædictæ Collectores cum omnibus jurisdictionibus, quæ aliis hujusmodi Collectoribus de jure, vel consuetudine quomodolibet competunt auctoritate, & tenore prædictis constituimus, & deputamus, mandantes, ut quicquid inde per se, vel personas Ecclesiasticas prædictas, seu subcollectores suos exegerit, id omne, reddita prius sibi per personas deputat. hujusmodi præmissorum omnium ratione, Thesaurario ipsius Philippi Regis in supradictos, & non alios usus convertent. consignari faciat, ac eidem Nuncio plenam, liberam, & amplam, ac absolutam potestatem tribuimus, taxam, & repartimentum hujusmodi pro prædicta summa octingentorum millium ducatorum monetæ Hispaniæ dumtaxat conficiend. omni, & quacumque appellatione, recursum, nullitatis dictione, ac in integrum restitutione penitus remotis faciendi, & præscribendi, prædictos omnes ad Decimam hujusmodi pro rata quemlibet juxta prædictam taxam tangente persolvendam etiam per Edictum locis publicis affigend., etiam sub censuris, & pœnis Ecclesiasticis monendi, & requirend. non parentes, contumaces, & fraudantes in censuras, & pœnas prædictas incidisse declarandi, proprietates, fructus, res, & bona ipsorum apprehendendi, & usque ad satisfactionem retinendi, Contradictores, Perturbatores, Molestatores, & Rebelle quoscumque, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, quovis questito colore præstantes cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, prædictis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, cæterisque juris, & facti remediis opportunis compellen., illaque etiam iteratis vicibus aggravand. Eos vero, qui debite satisfecerint ab omnibus censuris, & pœnis supradictis in forma Ecclesiæ consueta absolvendi; præterea quascumque personas Ecclesiasticas in collectores, & subcollectores fide, & facultatibus

Clausula.

Sanctio pœnalis.

bus idoneos in omnibus Civitatibus, Ditionibus, Provinciis, & Ditionibus prædictorum Regnorum, & Principatus, & Insularum quot quot expedierit constituendi, eumque, vel eos arbitrio tuo revocandi, negligentes, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi quotiescumque ei videbitur, in delinquentes, & contumaces per se, vel alium, seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicii inquirendi, ac meritis pœnis puniendi, modos, & formas in prædictis servand. præscribendi, dubia quacumque in præmissis forte oritura declarandi.

Derogatio contrariorum

§.4. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & locorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, quodque personis prædictis, earumque Ecclesiis, & locis, vel quibusvis aliis communiter, vel divisim a Sede prædicta sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto, necnon personis, eorumque nominibus, cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus in genere, vel in specie etiam S. R. E. Camerario, & aliis Camere Apostolicæ Ministris, etiam ex causa onerosa quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Et solutiones Decimarum aliter quam secundum antiquam taxam, & nisi in universali Decimarum per orbem impositione fieri prohiben., necnon promissionibus, donationibus, obligationibus, juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimæ hujusmodi minime teneri, neque eis quoad præmissa, contra quemcumque locum habere declaramus, aliisque Indultis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ omnia contra prædicta nolumus cuiquam suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Constitutionem Clem. V. servati mandac.

§.5. In percipiend. vero Decima præscripta piæ mem. Clementis Papæ V. etiam prædecessoris nostri in Concilio Viennensi editam Constitutionem, ac præsertim, quod nec Calices, nec libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata, aliave supplex Ecclesiastica ex causa pignoris capi, recipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari debeant, ubi Bull. Rom. Tom. VI. Pav. V.

que præcipimus observari, quinimo volumus, ut illius occasione Ecclesiæ, Monasteria, aliaque Pia, & Sacra Loca quæcumque debitis propterea non fraudentur obsequiis, ac divinis in iis cultus, & solitus Altissimo famulantium, & Ministrorum numerus nullatenus minuatur, nec eis quoquo modo injuncta onera, aut pia, quæ exerceri solent opera, & officia ullo modo minuantur, seu negligantur, sed eorum congrue supportentur onera consueta; Quodque propter prædictam Decimæ impositionem quibuscumque juribus nostris, & Collegii S. R. E. Cardinalium, ac Camere nostræ Apostolicæ præfate, quæ ratione Ecclesiarum, ac Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum vacantium, & vacaturorum solvi debuerint in aliquo minime præjudicetur; Præsentium vero literarum exempla etiam impressa manu Notarii publici subscripta, & alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo obfignata, eandem in judicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, quam ipse originale facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Octob. 1662. Pontificatus nostri Anno VIII.

Dat. die 20. Oct. 1662. An. VIII.

CD XI.

Licentia Episcopo, & Clero Civitatis Pasten., ejusque Territorii contribuendi summam 20. mil. scut. pro redemptione dictæ Civitatis, & Casalæ de Surrentino, ejusque Territorii.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Postolatus officium, quod auctore Deo gerimus, exigit, ut ad ea, quæ libertatis Ecclesiasticæ conservationem, ac personarum quarumlibet in fortem Domini vocatarum, utilitatem concernunt, libenter intendamus, & pastoralis nostræ sollicitudinis partes desuper interponamus, prout matura deliberatione adhibita, cognoscimus in Domino salubriter expedire.

Procurium

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt Ven. Frater modernus Episcopus Pasten., ac dilecti filii dignitates obtinentes. Canonici, alique Præbendati Cathedralis Ecclesiæ, necnon Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & Clerus universus Civitatis Pasten., ejusque Territorii, quod dilectus filius Ascanius Ansalonus Dux Terræ della Montagna nuncupatæ, olim Casalæ dictæ Civitatis, & ad illius territorium spectantis, eandem Civitatem Pasten., quæ inter Civitates Regni Siciliae quinta, nonnullisque aliis Episcopalibus ejusdem Regni Civitatis ordine, & majoritate Superior existit, cum Casalæ de Surrentino, ejusque Territorio ante aliquos annos subreptitè, ut creditur a charissimo in-

Expositio.

K k 2 Chri.